



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An pluribus iudicibus eadem causa simul delegari possit, & quomodo
procedere debeant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

thedralis, sive secularis hæc sit, sive regularis, sive præbendam ille habeat, sive non habeat *c. statutum 11. de rescript. in 6.* Episcopi verò, vel alterius inferioris ordinarii delegatus esse potest simplex Clericus juxta *gloss. in citatum c. statutum V. sedis Apostolica.* Modò sint personæ discretæ, & idoneæ, ut loquitur *c. si pro debilitate 3. h. t.* sive sint subditi delegantis jurisdictioni, sive non sint subditi, modò causa ad delegantis jurisdictionem pertineat (& hinc causæ Ecclesiasticæ, decimarum *v. g.* juris Patronatus &c. non laicis, sed clericis committuntur) quorum omnium rationes esse possunt, quòd pro sedis Apostolicæ dignitate alii delegati non sint admittendi, & causarum ratio laicis non committenda, diversitatem quidem aliquam delegatorum requirat, non autem subjectionem, nisi invitum compellere velit.

§. II.

An pluribus iudicibus eadem causa simul delegari possit, & quomodo procedere debeant?

Posse hoc fieri, ita ut non habeant singuli jurisdictionem in solidum, neque unus sine altero validè procedere possit, nisi aliter in forma concessionis sit expressum, *exc. causam 16. h. t.* patet quòd si tamen in forma commissionis in clausula expressum sit: *ut si nequeant, aut nolint omnes interesse, duo vel unus eam cognoscant, & exequantur:* duo vel unus procedere possunt, ad causam dijudicandam & ferendam sententiam, si per certum nuntium, aut aliunde illis legitimè constitit (per testes scilicet aut submissas literas) quod tertius vel alii adesse

non possint aut nolint, prout habetur in *c. prudentiam 21. h. t.* si verò sub ea clausula commissio facta sit, *ut omnes, aut duo vel unus eorum procedant, aut mandatum exequantur,* tum censetur quilibet eorum habere jurisdictionem in solidum, daturque inter eos locus præventioni, ita ut etiam unus solus, qui alios prævenit, negotium commissum expedire possit; & negotio cæpto alii amplius immiscere se non possint, nisi qui causam hanc præoccupaverat, subitâ infirmitate, aut aliâ justâ causâ impeditus, non possit, vel etiam malitiosè non velit in causa procedere, ut habetur in *c. cum plures 8. h. t.* ratio horum est, quod ut sic servetur forma mandati, & negotia citius expediantur cum nullius injuria.

§. III.

An una causa delegata etiam pluribus possit subdelegari?

Qui subdelegare possunt, possunt vel omnes simul, si plures delegati fuerint, vel unus eorū unam causam sibi delegari a pluribus personis tamè idoneis, subdelegare, ut constat *exc. cum te 18. h. t.* ita ut, taliter à delegatis subdelegati in sententia ferenda inter se dissentiant, standum sit sententiâ majoris partis; vel si non habeatur major pars in sententia ferenda, sed quilibet subdelegatorum suam peculiarem sententiam habeat, recurrendum sit ad subdelegantem *argum. c. fin. de sententia & re jud. nisi* in totum vices suas subdelegatus commiserit subdelegans, quo in casu ad primum seu delegantem recurrendum est.